



10  
10

10  
10

J. q. 354, 2.



1321

CLARISSIMI VIRI

Domini

MATTHIÆ JO-  
HANSEN

Celsissimi Slesvici, Holsatiæ, &c.

PRINCIPIS

DOMINI

JOHANNIS AUGUSTI

Secretarij

EPICEDION,

Juxta exemplar

ARGENTORATENSE

Recusum

HELMSTADI

IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO

Per

JOHANNEM GEORGIUM TÆGER

ANNO MDCCLXX.





MEMORIÆ  
VIRI INCOMPARABILIS  
DOMINI  
GEORGII CALIXTI,  
Theologi sine exemplo, Abbatis

Regio-Lutherani, & Professoris in Academia  
Julia Primarij,

Domini Præceptoris ac Hospitis quondam  
fui desideratissimi,

*XIV. Cal. April. placide de sancti, IV. Id. inter bono-  
rum omnium suspiria sepulti*

Hoc quicquid est sacrum esse voluit

*Celsissimi Slesvici Holsatiæ &c. Principis*

DOMINI  
JOHANNIS AUGUSTI

Secretarius

MATTHIAS JOHANSEN.

**D**Iva Anima, & tanti mens admiranda CALIXTI,  
Cui reliquas latè par nihil orbis habet,  
Neu iterum nostris speranda scientia terris,  
Et concors placitis undique vita pijs  
Ad cœlos cessère suos. Hic cætera busto  
Tradimus, & parvæ grande cadaver humo.

*Ite,*



Ite, parate rogam, communeque condite funus,  
 Et docti & sancti quotquot ubique viri,  
 Credite majorem nemo venerabitur urnam,  
 Non hoc officio dignior alter erit,  
 Nam simul antiquis fidei morumque magistris,  
 Et facimus toti iusta secunda scholæ.  
 Hic vir, hic est, in quo nuper se absolverat orbi  
 Natura, atque aliud vix reparabit opus,  
 Quique animo terrasque suo cælosque minores  
 Complexusque ipsum, post ea cuncta, DEUM,  
 Omnia contulerat, quicquid tot secula, quicquid  
 Scire homines ratio religioque finit.  
 Cernimus in partem superos venisse doloris,  
 Morsque etiam cælum, quod modo vita, movet,  
 Ante omnes sperata rei Concordia sacræ  
 Hactenus, & nunquam defidiosa Fides,  
 Forsitan extremo cyparissi fronde Patrono,  
 Et præeunt mæsto verba suprema rogo.  
 Proximus ingenti luctus AUGUSTUS Alumno  
 Dividit, & carum quærit ubique senem,  
 Quæque Ducum sequitur capulos generosâ propago,  
 His simul exequijs publica damna gemit,  
 Nec parvum egregijs notat instar in artibus esse,  
 Id Suboles. Tanti jam quoque Patris habet.  
 Quid memorem reliquas cum Regnatoribus Aulas,  
 Quid Patriam & Cimbros, Gloria nostra, tuos?  
 Quis referat vestros Academia Julia luctus,  
 Quis tot Amicorum tristitiamque domus?  
 Scilicet ut vivum venerata fuere. CALIXTUM  
 Omnia, defunctum flentque vocantque Virum.  
 Qui nunc consultæ terris, cæloque repertæ  
 Hic voti compos secula pacis agit,  
 ):( 2 Proque



Proque suo populo supplex prece Numen adorat,  
(Dona tamen tellus si queat ista pati)  
Ut tot in adversas digressa Ecclesia partes  
Materiam litis cesset habere DEUM,  
Unaque diversas tandem mens nesciat aras;  
Aut alium saltim non ita damnet homo,  
Qui Servatoris merito commissa piari  
Certus, in hoc solo spemque fidemque locet,  
Interea vitam terris, moresque severos,  
Et sese CHRISTI nomen habere probet.  
Jamque adeo, ô Anima, ætheræ donata quieti,  
Et vos, quæ tumulus sed levis, ossa, tegit,  
Æternum salvete mihi, æternumque valete,  
Extrema officij pars manet illa mei,  
Quam capite, atque inter dignos, ignoscite, luctus  
Hæc parva ad vestros visa fuisse rogos,  
Illa quidem meritis multum cessura cothurnis,  
Et longe tanto justa minora Viro,  
Me tamen hæc etiam grandi fecisse sepulcro,  
Et glebam exuvijs apposuisse juvat,  
Hique leves elegi feralia pignora vivi  
Nunc etiam obsequij, vel pietatis erunt.













87274

ULB Halle  
005 130 212

3




VD 17











1321

MEMORIA  
*CLARISSIMI VIRI*

Domini

**MATTHIÆ JOHANNSEN**

*Celsissimi Slesvici, Holsatiæ, &c.*

PRINCIPIS

DOMINI

**JOHANNIS AUGUSTI**

Secretarij

**EPICEDION,**

Juxta exemplar

**ARGENTORATENSE**

Recusum

*HELMSTADI*

**IN TYPOGRAPHEO CALIXTINO**

Per

**JOHANNEM GEORGIUM TÆGER**

**ANNO MDCC LXX.**

